



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

134

146

ELEGIA

DE PARELIIS CON-  
SPECTIS BERNBURGI

19. Novembr. Anno 1613.



Scripta à

134/15

M. SIMONE REINHART  
DOMASCENO.

*Adjecta sunt Epigrammata duo*

De visis denuo bis Parelijs: Primò 22. Mart. hoc Anno 1615  
quibus juncta simul fuit crux alba, à satis amplo ejusdem coloris circu-  
lo inclusa;

Deinde in vigilijs Paschatis 8. April, ejusdem Anni, quorum unum usq;  
ad occasum Solis ferme duravit, & hora 4. adhuc insignes radios sparfit.

HEMMINGIUS Syntagm. pag. 77.

*Experientia & Historia docent, non ἀσημα esse, quae ita inusitatè fiunt.*

HERODOTUS. lib. 6.

Φιλέψ ὁ Θεὸς παρεσημαίνεν, εὐτ' αὖ μέλλει μεγάλα κακὰ  
ἢ πόλι, ἢ ἔθνη ἕσεισθαι.

VVITTEBERGÆ, Typis Gormannianis, Anno 1615.

με  
ραλ



Ostenta, prodigia, portenta,  
signa, miracula, monstra, &c.

In sacris literis, & primò in veteri Testamen-  
to dicuntur:

נִפְּלְאוֹת Niphleoth, b. e. mirabilia, Psal. 105. v. 2, 5.

Psal. 106. v. 22. Psal. 145. v. 5. Job. 37. v. 14. & v. 16.

מִפְּלְאוֹת Miphleoth, b. e. miracula. מִפְּעֻלֹת Miph-

aloth, b. e. opera, Psal. 46. vers. 9. Psal. 66. vers. 5.

מוֹפְתִים Mophetim, i. e. Prodigia, ostenta, Exod. 7.

v. 3. Jerem. 32. v. 20. Ioël. 2. v. 30. Nebem. 9. v. 10.

אוֹתוֹת Othoth, i. e. Signa, portenta, Genes. 1. v. 14.

Psal. 105. v. 26. Jerem. 10. vers. 2. NB In tota Jeremiae

Prophetia unicus duntaxat versus Chaldaicè scriptus

extat, qui est 11. in hoc capite.

אֶתְהַיָּא Athajja, i. e. Signa. וְתִמְחַיָּא Vethimhaja,

i. e. & mirabilia, Dan. 4. vers. 2. & sunt voces Chal-  
daice.

נֹרְאוֹת Noreoth, i. e. Terribilia, Deut. 10. vers. 21.

Psal. 106. v. 22. Psal. 145. v. 6. גְּדוֹלוֹת Gedoloth, i. e.

Magnalia, Deut. 10. v. 21. Psal. 106. v. 21. עֲלִירוֹת A-

liloth, i. e. molimina, conatus, opera, 1. Sam. 2. vers. 3.

Psal. 66. v. 5. עֲלִיָּה Alilija, i. e. molimen seu opus di-

vinum, Jerem. 32. vers. 19. מַעֲלֵי־יָהּ Maallejah, i. e.

Molimina, conatus, opera Domini, Psal. 77. v. 12.

In

# In Novo Testamento:

פֶּלֶאֶוֹת Pelaoth, hoc est, θαυμάσια, Matth. 21. vers. 15.  
וֹתוֹת Othoth, hoc est, σημεία. מוֹפְתִים Mophethim,  
hoc est, τέρατα, Matth. 24. vers. 24. Epist. ad Ebr. 2. v. 4.  
σημεία, Luc. 21. vers. 25. τέρατα Joban. 4. vers. 48. δυνάμεις,  
Actor. 6. v. 8.

חֲרֻבֵי חֹכֶה Harbeh Cochoth, id est, ποικίλαι δυνάμεις,  
ad Ebr. 2. vers. 4. ἐνεργήματα τῶν δυνάμεων, 1 Cor. 12. ver-  
su 10. ἑξάδοξα, Luc. 5. vers. 26. ἔργα Θεῶν, Joban. 9. vers. 3.  
μεγάλα καὶ θαυμαστὰ ἔργα, Apocal. 15. versu. 3.



A 2

NOBI



Nobilitate Generis, multiplici  
rerum experientia, solidæque virtutis  
splendore, Strenuissimo

VIRO,

CHRISTIANO-IULIO  
AB HOYM,

Leiningensis præfecturæ usu-  
fructuario, & duorum prædiorum in  
HOYM Possessori hæredita-  
rio;

*Fautori suo plurimum colendo.*

Salutem & perennem in Chri-  
sto felicitatem preca-  
tur.

*M. Simon Reinhart Domascenus.*

NOBI.



**N**OBILISSIME VIR,  
Quemadmodum sacrae literae  
V. & N. Instrumenti Sacrosanctam  
Ecclesiam sub foeminae persona ac no-  
mine passim adumbrant; Et veluti  
Antichristi Papatus S. Catharinam  
Studio Philosophico patronam prae-  
fecit: Ita Ethnici, praeter varias Deas, suas Musas & Cha-  
rites sub foeminei sexus effictis nominibus celebrandas pu-  
tauerunt. Cum enim & hisce sui sint alumni, qui in ca-  
stris earum (ut loquuntur) militant, quod militia genus  
Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. egregie depingens inquit:  
Est & illa vebemens & constans animi militia, literis  
pollens venerabilium sacrorum Antistes Philosophia, qua  
ubi pectore recepta est hominum, in bonesto atque inutili af-  
fectu depulso, totum in solida virtutis munimento confir-  
mat, potentiusque metu, ac dolore facit: Non obscure signi-  
ficatum est, eos qui in ijs debellantis adeoque evertendis, siue  
aperto Marte, siue factioso nauci hominum impetu, vio-  
lencia auctoramentum venari contendunt, non alias laudes  
aut spolia manere, quam a quibus Sapientissimi juxta ac  
Praestantissimi quique, unice sibi semper cavendum vebemen-  
ter statuerunt, utpote quibus plane persuasum fuit, ne qua-  
quam plus gloria, quam virtutis huic *Invictae* subesse:  
Egregiam vero laudem & spolia ampla refertis  
Debellatores Charitum, facilisque Minervae.

Huc facit, quod Rex Demetrius, Antigoni filius, quando  
Rhodum obsidione cinxerat, mirumque eo in loco, ubi tabula  
Protogenis magna arte picta extabat, erat quassurus, roga-  
tus a Rhodijs, ut monumento illi Protogenis parceret, ex-

templò militibus ab instituto revocatis, mutatiq; consilij  
causam exponens, se non gerere bellum cum artibus osten-  
dit, & hoc incunda cum Rhodij pacis materiam protinus  
subministravit. Quid dicemus ergo, o viri Christiani!  
ad illud Christi Matth. 12. v. 41, 42, &c. dum tabula princi-  
piò summi opificis artificio animis nostris impressa, deinde  
ab eodem lapidibus insculpta, postea in perpetuam rei me-  
moriã codici sacro inserta, à nobis idem imperare ne-  
quit? Porro eadem gloria rerum suarum gestarum fa-  
mam amplificârunt rarissimi Monarchæ, invictissimiq; Im-  
peratores: Quis Alexandro Magno, Macedone illi, forti-  
tudine & fortuna in successibus rerum bellicarum superior?  
adeò autem is in opprimendis liberalium artium studijs, ea-  
rumvè alumnis insectandis voluptatis auctoritatisvè non  
momentum nullum posuit, ut potius illas reverenter obser-  
vârit, omnibus modis juvârit, ingentiq; talentorum vi ex-  
ornandas ampliandasq; curârit; Hos verò quanti fecerit,  
inde liquet, quòd Homeri & Xenophontis libros, Iliada præ-  
sertim & wædeia Cyri inter classica, & armorum fragores  
vix prius è manibus deposuit, quàm cum nocturne sese qui-  
eti traditurus esset; tunc eos ad lectum secum asportare,  
sub pulvinaria collocare, ipsisq; capite suaviter incumbens  
obdormire consueſſe, Authores sunt qui affirmant: li-  
dem & hoc de ipso testatum relinquunt, quòd in Sigæo ad  
tumulum Achillis delatus, in ipso maximo opere tanquam ca-  
put & summam felicitatis, quòd Homerum virtutum sua-  
rum præconem habuisset. Mirum igitur videri debet ne-  
mini, quòd, cum ad Issam Cilicia urbem Darius prælio fu-  
disset, in ejusq; castris multum auri & cæterarum opum in-  
ventum fuisset, inq; ea præda quodam scrinio nihil præ-  
tiosius; consultantibus amicis & consiliarijs de ejus usu, in  
hunc

Pedicârit





hunc modum oblocutus feratur: Imò berce librorum Ho-  
merici custodia detur. Brevitatis studio hic pratero, quem  
Iaddo summo Ierosolymis sacerdoti, de equo desiliens, sup-  
plex honorem, cum summa suorum admiratione, exhibuit.  
Taceo in super exempla similis in rem literariam Romano-  
rum Imperatorum, Augusti quippe, Alexandri Severi  
& aliorum, observantia, de hoc id saltem monuisse suffi-  
ciat, quòd imperij administratione suscepta, primùm adu-  
latores, parasitos, exoletos, acroamata, eunuchos, & bu-  
jusmodi pestes (quod genus hominum per Silenorum & Sa-  
tyrorum Dionysiacam turbam, & Cercopum sodalitatem  
Herculanam, Camerario teste gravissimo, erudite vetu-  
stati depingere visum est) amoverit; Literatos contra o-  
mnes impensè amaverit, imò formidavit ne quid asperius  
in literas de se mitterent, memor dubio procul illius senten-  
tiæ Ciceroniane pro Archia: Nullus tam aversus est à  
Musis qui non mandari versibus æternum suorum laborum  
præconium facile patiatur. Et Plinius inquit: Scriptores  
sui seculi non esse in admiratione apud eos, qui laudanda fa-  
cere desierunt.

Quòd si tam incomparabiles Heroes artibus liberali-  
bus, linguarumq; notitia (quarum necessitatem Doctiss. J.  
Drusius epist. 99. hisce verbis innuit: quemadmodum asi-  
nus molendinarius assidue circuit, nec tamen recedit aut  
movetur loco suo: sic qui verbum Dei enarrant; nulla lin-  
guarum cognitione instructi, licet assidue versent, nunquã  
tamen illud rectè, & ita ut oportet, intelligent) imbutos  
tam incredibili favore, humilima veneratione, cumulatis-  
simo honore, ne dignitatum gradus, titulorum ornamenta,  
privilegiorum decreta hic memorem, afficere & amplecti  
maximè sibi laudi duxerunt; Et vox hæc:

Qui

Qui fortasse viris tantis non esset Agaso,  
Pessundat Charitum Pieridumq; decus;  
*ab ingenua humanitatis sensu, recta mentis suasu, religio-  
se pietatis fructu, ut nihil interim divinarum legum, qui-  
bus ad caelestis praconij obsequium, non ad impij Chami de-  
lirium, verbi auditores obstringuntur, adjiciam, longè o-  
mnium sit alienissima: Na vel caecus, quid ab alijs hac in  
parte officij ratio postulet, maceria contactu sponte depre-  
hendet, ac illud tam à majoribus nostris graviter dictum;*

Rein Reich Glückselig wird geacht/  
Da man die freyen Künst veracht;  
*quàm Poëta cēteberrimo:*

Res sacra si studio linguarum ac arte carebit,  
Sole suo mundus, flore carebit ager:  
*Verissimum esse palam fatebitur, nec calculi sui suffragio  
hanc ejusdem justae querimoniae causam comprobabit:*  
Ars nullo in pretio est, aufert rudis author hono-  
res,

Ad Procerum flatus fingit Agyrta sonos.

*Item:*

Floret iners, premitur sacrorum scitus & artis,  
O fer jura Deus partibus æqua tuis!

*Hanc ipsam, nimirum non tam effrenis impietatis licen-  
tiam, quàm desperata barbariei truculentiam vel ipso Lu-  
thero (h. e. memoria ejus sit in benedictione) non pa-  
rùm displicuisse, ex hisce ejus in 1. cap. ad Galat verbis  
manifestum est: Primùm cum post tenebras tantas huma-  
narum traditionum, exoriretur lux Evangelij, multi  
studebant pietati, avidè audiebant conciones, honorem ha-  
bebant*

bebant verbi ministris. Nunc cum tam magno incremento verbi, non infeliciter sit repurgata doctrina pietatis, plerique ex discipulis fiunt contemptores & inimici, qui non solum verbi studium abjiciunt, & ministros ejus negligunt, sed etiam omnes bonas literas & liberales artes oderunt, fiuntque plane porci & ventres, Digni certe, qui ἀνοήτοις Galatis conferantur. Hac ille.

Quare Nobilissime, virtutisque splendore Strenuissime vir, cum aequè Tuam ac Parentum tuorum (sancta recordationis) in me meosque animi propensionem non vulgarem re ipsa expertus sim, ut Strenuitate Tua apud exterarum nationes; Gallos, Italos, Anglos & alios remotissimos populos, animum tam spectabili virtutum integritate,

Dum tibi propositum virtute haud sanguine niti, quam variarum rerum cognitione illustrandi gratia degente, etiam Praefecti duorum praediorum ejus rei fidem omnino indubiam mihi reddiderint: Ne ingrati & immemoris horum beneficiorum suspicionem incurram, παγήλια, quae superioris anni autumno apparuerunt, à me crassa, quod dicitur, Minerva descripta, tandem sub Tua Strenuitatis nomine in lucem prodire volui: Obnixè rogans, ut istam qualemcumque gratie contestationem, pro ea, qua excellis virtutis & humanitatis laude, suscipere haud dedigneris, quod unicum abs Tua Strenuitate si impetravero, non erit cur ab ejusmodi censoribus, qui vel in sandalio Veneris, quod Theonis dente rodant, reperire satagunt, mihi opera & laboris radium extorqueri patiar. Hisce vale diutissimè & rectissimè. Dabatur Baalpergæ s. Id. Jun. quo die olim Romæ celebrabantur Vestalia, b. e. feria in honorem Vestæ Deæ, & coronati

B

nati



nati Asini, onusti panibus, per Urbem circumduceban-  
tur, juxta illud Ovidij Fastor. 6.

Ecce coronatis panis dependet Asellis, &c.

Anno novissimi seculi. 1614.

## Post Scriptum.

Cum DEVS Ter. Opt. Max. pro inenarrabili  
sua bonitate, ad veterum, quo hac mundi se-  
necta mentes hominum tanquam lethæo quodam  
fluvio immersæ sunt, excutiendum, justissimæ suæ  
iræ, adversus iniquitates nostras, documenta, & se-  
riæ juxta poenitentia fomenta, in prodigiosis lumi-  
narium ostentis hoc anno rursus, & quidem non  
semel ob oculos nostros posuerit, eorum bina, No-  
bilissime vir, ut silentio minimè prætereunda; ita  
Strenuitati Tuæ & ipsa dedicanda duxi, de Cando-  
ris erga liberalium artium studia integritate, adeo-  
que judicij dexteritate, optima quæque mihi polli-  
cians. Idem vale, 4. Id. Maj. cui diei hoc anno  
1615 à nato Christo, respondet Mensis Ebraorum  
secundi אייר *Iyar* (qui 1. Reg. 6. et jam זיף,  
בְּעֵבוֹר אֶת-זֶהר הַפְּרוֹחִים h. e. ob candorem seu  
splendorem florum, qui in herbis & arboribus  
nunc erumpunt, nuncupatur. זיף enim  
Chaldæis idem est quod Ebraeis נוגב *nogab*, h. e.  
fulgor) 23. dies, quod die Simon cognomine Thaf-  
sius, pro sapia Asamonæus, Macchabæi (quod cog-  
nomen soli Judæ inter quinque fratres 1. Mac. cap. 2.  
& apud Josephum lib. 12. Antiq. Jud. cap. 7. tribuitur)  
frater Arcem Ierosolymitanam SION fame expu-  
gna-

gnatam, & ritu solenni expiatam, ingressus est cum  
eucharisticis carminibus, & ramis palmarum, & va-  
rijs instrumentis Musicis, agens DEO gratias, quòd  
ab hac immani tyrannide Israelitæ liberati essent.

1. Macc. 13.

## ELEGIA.

**N**Ostra Deus quoties per crimina motus ad iram,  
Vindicis officio cogitur esse gravis:

Exiit affectum non prorsus corde paternum,

Vulnera ut instigat justa repente malis;

Mille edant strages unde ebria sanguine tela,

Vescaturq; hominum carnibus ensis edax:

Ad frugi redeant sed licito crimine vitam,

Voce ministerij sapius antè jubet.

Huic voci quisquis devotas arrigit aures,

In Christi meritum spem veniaq; locat;

Astra ferit precibus, suspiria pectore ducit:

Peccato offensum mitigat ille Deum.

Qui verò monitus naso suspendit adunco,

Securus videns iussa tremenda Dei;

Qualiter exceptit vulgi pia vota Lycaon

Cum risu, forma dignus & ore lupi:

Pœnas incurrit solvendas morte perenni,

Non Missa ad cœlos è Styge pandit iter.

His quoq; consultum cupiens Deus, exhibet ira

Aëre, terra, astris, signa mariq; sua:

Vidimus hinc Austros vi subvertisse tot ades,

Et latè pinus eripuisse solo:

Monstrosos adat passim quos fœmina partus,

Hoym, Badeborn, testes sisto oculosq; meos:

B 2

Hofce

18. Decemb.

1612.

1. Maj. 1603

27. Jul. 1605

3. Mar. 1607



13. Ianuar.

1602.

Hosce meos oculos testes & sistere possum,  
Stagno spectatam sanguinis instar aquam;  
Purpureas violas quæ presentabat odore,  
Ut pote quarum etiam mixta colore fuit.

12. Ianuar.

1610.

Libs, boat horrendum, tellus concussa tremiscit:  
Fulgura crebra micant, fulmina seua tonant,

7. Ian. 1610.

13. Ianuar.

1610.

Grandine bruma pluit Quedlburgi; turris ad ulnas  
Desuper hinc ter sex fulminis igne perit.

1525.

Conspersisse domos cervorum cornua tabo,

1547.

Cum Jessa memori Lipsia mente tenet.

1576.

Si quis nunc oculos à terra tollit ad astra,

Conspiciet coelum chasmate nocte minax:

1577. 1580.

1572.

Ne memorem, nunquam visos impunè Cometas,

Et stellam in stellis Cassiopeja tuis;

Neu dicam quoties radios abscondit in anno

Phœbus, & exuitur lumine Luna suo:

Anni tres jerant post natum Virgine Christum,

Octobis pariter secula, lustra duo;

Arcitenens Phœbo sextum concesserat ortum,

Non procul à diræ Scorpie corde tuo:

Scorpius ut Martis signum est; ita funere lux hæc

Elisabetta tuo nobilitata fuit:

En venit Oceano comitatum utrinque sodali,

Restituens lucem post tenebrosa, jubar:

Nomine consueto sunt dicta παρηλια Græcis,

Nam juxta Solem Solis imago cluet.

Vidisses claro dextrum splendore nitere,

Levum parte aliqua nube subinde tegi.

Fictitij veluti Soles phantasmate fulgent.

Ut vero Soli cedere nolle putes:

Sic summis fraudes quoque neclere Regibus audent,

Insidia quorum non sine clade patent.

Quid

Quid mirum, similis si templa scholasq; fatigat  
Bellona, in doctos sevit Erisq; viros?  
Imò, Mysta subit vel ineluctabile fatum,  
Dedita qui soli vult pia corda Deo:  
Exitiosa forent si non exempla relatu,  
Multorum heu possem quanta referre mala?  
Delictum exilio, facinusq; piamine dignum,  
Qui commiserunt dexteritate pia;  
Dum pravos monuere fide se tradere Christo,  
Ne fiant Stygijs sponte rapina lupis.  
O socij experti quandoq; Cyclopea saxa,  
Non ad nimbisonos pandite vela Notos!  
Quisquis enim mundo facinus conuict ad omne,  
Non Christi servus dicier ille potest.  
Cum divinarum jacet observantia legum,  
In gyrum ut vel plebs has rationis agat:  
Relligionem Ate, Linguas pessundat Agyrta;  
Artes Harpyje, quassat Hyena Themim;  
Speranda atq; adeò non est conversio vite,  
Crimen ut amittat nomen, honosq; suum:  
Tunc Deus ira ardens, pondus monitisq; minisq;  
Omne signorum monstrat inesse suis;  
Monstrat & ante fores reprobis incumbere poenas,  
Felix cui pectus non adamante riget!  
Ante ferè lustrum, quos inter prandia sponse  
Sustulit Erfurdi morte ruina domus;  
An solos meritò passos hac improbe fingis?  
Falleris, & fati non memor ipse tui es:  
Vel quos hoc anno Vinaria planxit, abunda  
Sorptos cum pueris, conjugibusq; viros;  
Præ reliquis censesne reos, ac vortice dignos?  
Tanta nisi resipis, te quoq; pœna manet.

C

Disce

6. Febr. An-  
no 1609.

29. Maij  
1613.



Disce bonos fructus facere, est admota securis  
Arbori, & incineres ne redigare cave.  
Sunt aliquid portenta poli; natura Deus q̄  
Incassum faciunt, orbe vel axe, nihil  
Est observatum longævo temporis usu,  
Portenta hæc Solis bella cruenta sequi;  
Insuper Heroum vitæ portendere finem,  
Non saltem unius mors inopina probat.  
Quicquid exit, tempus na constat adesse, Redemptor  
Quo vult nos leta tollere mente caput:  
Nunc frondet ficus, mox optatissimus annus  
Gaudia mille feret, tædia nulla feret.

Christe tui splendor Patris, quem jure Prophetæ  
Justitiæ Solem nuncupat ore pio;  
Imis irradiâ nos Flaminis igne medullis,  
Cordi ut sit toto corde placere tibi:  
Psal. 85, 10. Tunc vicina Salus, qui te venerabitur, omni;  
Atq̄ suus dignos laude manebit Honor:  
vers. 11. Conservata Fides Pietati occurret anbelæ;  
Oscula sancta sibi Paxq̄ Themisq̄, dabunt:  
vers. 12. Pandet, iners fuci Verum, tellure stolones;  
Justitia è summo prospicietq̄ polo;  
vers. 13. Nos Dominus cumulabit obe bonitatis acerbo;  
Victum de cornu divite fundet ager:  
vers. 14. Integritatis amor duce & hoc tutusq̄ sacerq̄,  
Per fraudum salebras ire, redire, sciet:  
Vitalis donec perfuncti luminis aura,  
Uno ore æternum te celebremus, Amen.



EPI.



EPIGRAMMA

De Parelijs, quæ 22. Martij cum cruce alba &  
circulo ejusdem coloris apparuerunt anno

1615.

**P**hasmatis hujus effigiem divulgavit Typographus Is-  
lebiensis: Arcus a. colorati, qui ibidem admixti vi-  
suntur, 11. die Maij sunt conspecti. Stellas verò istas diur-  
nas etsi nos non vidimus: Tamen quid portendant, Gar-  
caeus de Meteor: monet hisce verbis: Et testantur historia,  
stellarum diurnum conspectum præcessisse ingentes Im-  
periorum mutationes: vide ibidem exempla & secutas  
mutationes tristissimas.

**D**At ecce signa lucis ultimæ polus,  
Solum, salumque; & insuper minantia  
Mali omne Gentibus genus, famem, luem,  
Cruentia bella. Quis Parelia ambigat  
Notare grande quid reversa denuo?  
Amabò pensita vicissitudines:  
Vacans nitore Phoebus ante triduum,  
Caput Draconis occupante Cynthia,  
Tribus modò coruscat orbibus, quibus,  
Prehensa sat capace circulo, crucis  
Figura candido colore jungitur.  
Sit ergo sponte cum fideli pedissequa  
Spei Chaosq; crux, fidelium schola,  
Precumq; calcar, & beatitudinis  
Origo, pignus atque testimonium  
Paternalis amoris agmen in pium DEI:  
Proinde signa gaudij Pij edite,  
Redemptionis adsit hora quòd prope,

C 2

Qua

Qua ab Orbis hujus omnibus doloribus,  
Periculis, laboribusque liberi,  
Polo absque fine gaudijs fruemini.  
Cui sedista cunque pectus haud movent,  
Brabéi ut instar, oris ultimum sui  
Reponat halitum, palæstram agentibus  
Stygis palude dæmonum cohortibus;  
Nihil moratus insuper DEI minas,  
Qui inulta facta non relinquit impia,  
Nec in suos ferocientis impetus;  
In horrido Beelzebulis atrio,  
Tuaque Lucifer, subibit, in domo  
Pice æstuantè, sempiterna tormina.

ALIUD.

De Parelijs 8. April. conspectis eodem  
Anno.

*S*I testudo mihi Phœbea Amphionis esset,  
Pro meritoq; chelys nunquam laudata Maronis,  
Otia nec Typhon turbaret grata Camœnis;  
Ostenta baud possem Phœbi repetita referre  
Singula per nubes, terris minitanti cladem.  
Octo bis menses post visa Parelia prima  
Vix jerant, & Sol iterum stipatus utrinque  
Incedit socio, crux alba in circulo & albo  
Distrahit ambiguis hominum corda anxia curis:  
Hinc abiēre dies totidem, quibus additur unus,  
Nempe is, quem Pascha solennia sacra sequuntur,  
En rursus triplex illustrat fulgor Olympum.  
Quid signent dixi, firmant qui talia nosce,  
Nosce, pioq; animo reputa noctesq; diesq;  
Pravos in melius mores converte, precesq;.

Ex

*Ex imis, Christi per nomen, funde medullis :  
Hac ratione potest flecti ira Tonantis & omen  
Averti poena, sin hujus, crede perennis.*

*7. Aprilis, videlicet nocte parasceves diem anteceden-  
te, Sanderstebia in nubibus miles igneis indutus armis  
visus est pugnare.*

*Et 7. Maij, Dominica Cantate, Parelia tertio, &  
quidem Iridis coloribus tincta, hoc anno apparuerunt.*

*Stanhufius lib. de Meteor.*

**E***Tsi Physici dicunt Parelia pluviarum significationem  
esse, experientia tamen multos docuit ea portendere  
tristiora, vel magni Principis obitum, vel bellum horren-  
dum, cujus rei nemini desunt exempla.*

*Hagius Methodo 22.*

**P***arelij semper aliquid singulare divinitus portendunt.  
Secreta adeoq; divina causa est, quod conspirationes  
Monarcharū, dissensiones Regum & Principum, horren-  
diq; aliorum Imperiorum motus. Bella item ex ejusmodi  
impressionibus prænunciantur. In Ungaria tres Soles  
conspiciti sunt paulo ante mortem Ludovici Regis, qui  
haud dubie significaverunt tres Reges concertaturos pro  
regno, videlicet: Ferdinandum, Johannem & Turcam.  
Rex Poloniae vidit sex Soles, is autem qui ad occidentem  
stabat, erat planè ater, nec multo post Gallia Rex Fran-  
ciscus in acie captus est.*

*Peucerus divinat. de Meteor.*

**I***N Pareliorum spectaculo Sol Regum gerit personam, eo-  
rumve qui praesunt; Cujus ut nitori insidiantur, &  
splendorē imitantur atq; usurpant asciticio fuco Parelia:  
Ita eos adumbrant, qui regna affectant & principatus,*

*C 3*

*eosq;*

eosq; ad sese detrufis legitimis Dominis transferre annuntuntur. Qui accedunt circuli & circuloꝝ colorationes, artes & machinationes, quibus & ſtruunt quod moliantur, & ornant atq; excuſant, referunt.

Garcæus de Meteor. cap. 42.

**A**nno Domini 1322. Junij die quinto, circulus rubeus viſus eſt circa orbem Solis, & prope comparuere due cruces eminentes.

Anno Domini 1372. Junij quinta die, inſolitus circulus circa Solem viſus eſt, ſupra quem due cruces rubei coloris emicuerunt, &c.

Anno 15<sup>33</sup>. Septimo calendas Maij in Helvetia circa Solis orientem albus & cryſtallinus circulus viſus eſt. Et eodem anno bellum maximo apparatu in Turcas ſine fructu tamen ſuſceptum eſt. Johannes Dux Sax. Elect. obiit.

Idem, ſed maxima parte ex Peucero.

**P**arelij ſemper aliquid ſingulare diuinitus portendunt. Nunquam enim ferè plures viſi ſunt Soles, niſi nova eſſent fœdera conſuta, aut ſtructa adornataq; conſpirationes, vel ad rapienda Imperia, vel eos qui præſiderent, de ſtaſtigio deſiciendos; aut omnino, niſi aliqui res novas molirentur, aſpenderent innovationes turbationes ve etiam in Religione. Sunt igitur Parelij verè iudices occultorum conſiliorum, in cælo eminentes & fulgentes, obuij omnibus, ut de ſocietatibus in perniciem regnorum clam conciliatis, horrendis Impiorum motibus, bellis civilibus, alijsq; rebus grauiſſimis, homines erudiant. Exempla, & quid ea ſecutum fuerit, vide ibidem.

Lutherus in cap. 4. Hoſeæ.

**M**ulta ſunt, ex quibus homines eruditi futurorum eventuum ſignificationes colligunt. Nam & PORENTEN-

qbus

TENTA, QUAE PASSIM VIDENTUR, NIHIL  
POLLICENTUR BONI: & ipsa negotia paulatim  
delabuntur eò, ut certam confusionem omnium ordinum  
tandem sequi necesse sit. Sed profectò certissima im-  
pendentium calamitatum judicia sumuntur ex moribus  
usq; adeo corruptis & depravatis. Ac cum hoc genere  
divinationis, quod ex moribus sumitur, conveniunt Pro-  
phetarum vaticinia. Quis enim non videt, quid in  
suo populo reprehendat Hosea?

Sed cum eadem nostrorum temporum vitia ob oculos  
sint, magno impetu grassantia, num dubitabimus de  
simili eventu? Pertinet igitur hac concio ad poeniten-  
tiam, ut p̄ se, & familias suas, diligenter discant  
regere in timore DEI. Et si enim fatalis calamitas im-  
pendet: Tamen, qui in timore sanctè vivunt, & vul-  
gatis criminibus se non contaminant, hos Dominus, sicut  
Danielem & socios ejus tuebitur & servabit, ut sentiant  
premia pietatis, sicut reliqui peccatorum meritis penas  
sentiant.

## HEINRICUS SALMUTH

Concione 5. ex 24. cap.

2. Sam.

**S**ed wie der König David das Zorn-  
zeichen/nemlich/den Engel mit dem blossen Schwert/  
vber der Stadt Jerusalem gesehen: Also zeigt vns vnser lie-  
ber HERR GOTT auch Zornzeichen am Himmel/ an der  
Sonne vnd Monden/ desgleichen in der Luft/ vnd durch an-  
dere Zeichen vnd Wunderwerck/ so täglich geschehen/  
welches warhafftige Zeichen sein des Zorns  
Gottes/ vnd der künfftigen  
Straff.

JOHAN-


JOHANNES MAIOR D.  
De Cornibus cervinis, quæ emiserunt  
sanguinem:

**N**on temere in terris, nec in aëre signa resultant,  
Sed vocat bis homines ad meliora Deus.  
Si dubia interdum pœna sit forma sequentis:  
Non tamen eventu libera pœna suo est.

Valer. Maxim. lib. i. cap. 2.

**L**ento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira:  
tarditatemq; supplicij, gravitate compensat.

FINIS.



Nov 1996

8

V

ULB Halle 3  
 002 063 808



Sh




nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /


V B 17 M

DX









ELEGIA  
DE PARELIIS CON-  
SPECTIS BERNBURGI

19. Novembr. Anno 1613.



Scripta à

M. SIMONE REINHART

DOMASCENO.

*Adjecta sunt Epigrammata duo*

De visis denuo bis Parelijs: Primò 22. Mart. hoc Anno 1615  
quibus juncta simul fuit crux alba, à satis amplo ejusdem coloris circu-  
lo inclusa;

Deinde in vigilijs Paschatis 8. April, ejusdem Anni, quorum unum usq;  
ad occasum Solis ferme duravit, & hora 4. adhuc insignes radios sparfit.

HEMMINGIVS Syntagm. pag. 77.

Experientia & Historia docent, non ἀσημα esse, quæ ita inusitatè sunt.

HERODOTUS. lib. 6.

Φιλέψ ὁ Θεὸς προσημαίνειν, εὐτ' αὖ μέλλῃ μεγάλα κακὰ  
ἢ πόλι, ἢ ἔθνη ἔσεισθαι.

VVITTEBERGÆ, Typis Gormannianis, Anno 1615.

179  
146

με  
ραλ